



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij**

**Schröteli, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1633**

Favvs Distillans. a.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

## FAVVS DISTILLANS. a

**I**Ta de sua Sponfa loquitur Sponsus:  
*Fauus distillans labia tua Sponfa, mel &  
 lac sub lingua tua. b*

Guilelmus, cognomine paruus, hunc locum mysterio Annunciationis pulchrè accommodat. Cùm enim iam Patres pene ad raucedinem clamassent, *excita potentiam tuam, & veni.* & iam Angelus per Virginem nasciturum annunciarret, ac tantùm consensum Mariæ expectaret, ita B. Virginem alloquitur: *Dic ergo verbum dulce, o Maria, dic quod dictura es. Ecce os tuum respiciunt Angeli, hominum amatores; SS. Patriarchæ & Prophete apud inferos positi expectant verbum tuum quasi imbrem serotinum: adhuc labia tua, sicut fauus, sed distillans, id est. occulta dulcedinis aliquid emittens, dicendo, Quomodo fiet istud? adhuc mel & lac sub lingua tua, verbũ nempe illud dulcissimum, quod erit mel Angelorum, & lac mortalium. Non sit ergo hoc mel & lac sub lingua tua, sed in lingua. Sonet vox tua in auribus nostris. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi*

*a Cant. 4. b Ibid.*

*secun-*

*se  
da  
de  
su*

*e*

*c*

*r*

*c*

*f*

*v*

*f*

*r*

*f*

*j*

*u*

*i*

*e*

*e*

*e*

*e*

*e*

*e*

*e*

*e*

*e*

*e*

*e*

*e*

*e*

*e*

*e*

*secundū verbum tuum. Hoc plane est verbum  
dulcisonum, quod & Angeli, & homines desi-  
derabant. Hoc verè est mel, & lac, quod erat  
sub lingua Virginis.*

Verè hæc Virgo per tot Virtutum  
exercitia, tanquam Apis Argumentosa  
conata est talem fauum conficere, ex ce-  
ra tam pura, ordine tam artificiosum,  
qui postea melle, rore illo cœlesti, Chri-  
sti inquam, humanitate, repletur,  
vnde illa postea Gratia plena ab Angelo  
salutata, nobis illud cœleste mel destilla-  
ret. Vnde & Ecclesia in Natiuitate Chri-  
sti canit, *Hodie per totum Mundum melli-  
flui facti sunt cœli, verè tunc fauus mel su-  
um destillauit.*

Non possunt SS. Patres satis explicare  
illā internā huius virginis dulcedinē, pa-  
cem, securitatē, iubilū cordis, quā partim  
in contēplationibus, & ardētissimis desi-  
derijs, & flagrāte charitate sensit; partim  
in conceptione, partu educatione, con-  
uersatione fructus ventris sui, qui est  
nostra quoq; dulcedo, & totius Mūdi so-  
latium

latium Consideremus Matrem, quibus actibus charitatis, amplexibus, osculis, blandis alloquijs infantulum sanctissimum tractarit. *a S. Bernhardus ad hoc alludere videtur, dum dicit, labia labijs debentur, nec enim de Sponse labijs exprimerentur dulcedines, si non labijs imprimerentur Dilecti. ideo dicit, Osculetur me osculo oris sui. b*

Meditatio horum mirabiliter afficit intima cordis nostri. De S. Bernardo legimus Christum ipsa hora Natiuitatis noctu adhuc puero aliquando apparuisse in præsepio cum Virgine Matre, unde illam dulcedinem hausit, quæ ex scriptis eius apparet, maximè in sermonibus de mysterijs incarnationis super Missus est.

Conradus de Offida, in contemplatione infantia Christi, petens solatium Simeonis, à Matre impetrauit infantulum suum amplexandum. *c*

Notan-

*a Cant. 4. b Idem. I.*

*c Simile de S. Francisco.*

m  
tr  
ex  
gi  
te  
ru  
li  
in  
R  
q  
r  
c  
n  
p  
i  
r  
e  
r  
r  
l

Notandum illud ex Cæsario lib. 7. mirac. c. 50. de salua oris cuiusdam matronæ in dulcedinem mellis conuersa, ex sola Angelica salutatione quinquagies recitata, cum totidem venijs, id est, terræ osculis. Eandem gratiam impetrarunt duo huius matronæ æmuli, Marsilius Coloniae prope templum S. Seuerini inclusus, & alius ex ordine Cisterciensi Religiosus.

Hinc S. Bonauentura. *a* *O multum, inquit, laudabilis Virgo Maria; tu nec nominari potes quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te: tu nunquam sine dulcedine diuinitus tibi insita memoriæ portas ingrederis: Fortè hoc dixit ex Damasceno, qui ita scribit: Sufficit ijs qui tuam memoriam piè vsurpant, ò Virgo, quippe quæ eiusmodi letitiam pariat, quam nullus eripere possit. qua nunc enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem suam sanctissimæ memoriæ promptuarium effecerit. Epulentur iusti, & exultent. Gustate & videte, quo-*

*a* In spec. c. 8.

te, quoniam suavis etiam hæc est Domina nostra.

Quin & peccatoribus hæc Virgo suum fauum distillat, & dulce loquitur, quia mel & lac sub lingua eius. Explicat hoc S. Bernardus super hunc locum. *b* Cohortatur hæc Virgo perfectionem, non cogit, sed magis consolatur pusillanimes, suscipit infirmos & si inquietos corripit, correctio iam dulcedinem sapit maternam: peccanti compatitur, conuerso indulget. Vide quàm magna multitudo dulcedinis in labijs Sponsa, qua quoties tu peref-fluis iu malum, toties si conuertaris, ipsa tibi destillat in bonũ, & præbende venia vicibus non exhauritur. Denique instar Angelorum Dei non insultat, sed exultat super peccatore pœnitentiam agente.

Meritò ergo omnes cum Ecclesia clamamus, *vita dulcedo & spes nostra salue, O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria.* Et cum Petro Damiano, *b Felices Angelici Spiritus, qui B. Virginis habent presentiam: nos interim memoriã abũdantiã suauitatis eructamus. Si dulcis est memoria, quid est presentia?*  
*a Ser. 34. sup. Cant. b Ser. I. de Nati. PLÆ*

PIÆ CONSIDERATIO-  
NES.

I.

**A**Nima deuota tanquam folers Apicula, ex audito, & scripto verbo Dei fauum sibi facit, & mel colligit. Ita fecit Maria puerpera, cum vel pastores rudes audiret narrare visionem, & cantum Angelorum, *conseruabat omnia verba illa, conferens in corde suo.* a Ita Regia illa apicula in Lege & gubernatione Dei recreata; *Iudicia Dei desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, b & dulciora super mel & fauum.* Quam benè ei sapuit, cum dixit, *c Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo: & vix inde auelli potuit, sibi gratulans, Quomodo Dilexi, inquit, Legem tuam Domine? d tota die meditatio mea est,*

N 2

2. Re-

a Luc. 2. b Psal. 118.

c Item 118. d Ibid.

2.

Requiritur autem ad hoc, magnum desiderium, & quasi fames spiritualis. *a* Nam anima, saturata conculcabit fauum, ait Sapiens, Peccator qui os plenum siliquis habet, quomodo hoc mel spirituale gustabit? Scarabæi stercorei malunt insidere, quam rosis. nobilioris verò naturæ apiculæ sunt, quæ magnum delectum florum habent, foetentes & venenatas herbas oderunt. delicati odoris, & gustus sunt, & valde auide omnes florum angulos perquirunt. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* *b* *In toto corde meo exquisiui te, aperui os meum, & attraxi spiritum.* Desiderium autem hoc exacuet necessitas, quia valde indigemus: Vtilitas, quia hinc omne robur nostrum: Suauitas, quia spiritualis homo mirifice fruitur. Audi Claraualensem Apiculam suauiter susurrantem:

Tua

*a* *Prou. 27.**b* *Psal. 118.*



Tua Iesu dilectio,  
 Grata mentis refectio;  
 Replens sine fastidio,  
 Dans famem desiderio &c.

3.

Delectantur autem Apiculæ varietate florum: ex diuersis, vnius tamen saporis mel conficiunt. Ita animæ deuotæ ex diuersis doctrinam, & solatium colligunt, non tantum ex Scriptura sacra, sed ex vita Christi, B. Virginis, aliorumq; Sanctorum illustribus exemplis. Magis mouent exempla, & nos propius attingere videntur. Videmur aliquando idem posse, idem debere facere. Virtutes aliorum nostras acuunt, prouocant, lacesunt. Ex sola lectione vitæ Christi, & Sanctorum plurimis Mundus desipuit, vel imitari aliorum Heroicas virtutes, dulce fuit. Obuia exempla breuitatis causa omitto.

Tertullianus in antiqua Ecclesia ait baptizatorum ora lacte & melle inuncta fuisse. Lacta verbum Dei insinuabatur,

N 3

melle

melle autem meditatio eiusdem, vt infans suo tempore eius dulcedinem gustaret.

4.

Peculiariter autem à Beatissima Virgine sub cuius lingua mel & lac, decet nos discere mansuetudinem & prudentiam loquendi. *a* Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. *b* Sicut enim vitta fluentes capillos stringit, inquit Guilelmus in hunc locum, ita se labia eius per discrete censuram silentij stringebant, ne quod ex eis verbum inordinatum, vel inutile efflueret: diffusa hac erat gratia in labijs eius. Si ex abundantia cordis os loquitur, quid poterat cor dulcedine redundans eructare, nisi verbum dulce? Quid poterat nubes illa, dulcedine grauida, stillare, nisi dulcedinem, nisi mel & fauum. Sic ille. Et verè dicitur fauus distillans, quia prudenter loquens non effundit quidquid in buccam venit, sed ex consilio Ecclesiastici verbis suis stateram facit. *a* Hoc

*a* Cant. 4.

*b* Guild. c Eccli. 28.

Hoc & S. Ambrosius suadet; *a Profer*, inquit, *sermones ad mensuram, libra examinatos iustitie, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, in verbis modus. Si enim hoc facimus in auro*, inquit S. Chrysostronus, *b multò magis faciendum est in verbis, vt nihil desit, nihil redundet.*

Hinc B. Virgo tam rarò, & tamen potenter locuta legitur. Cum Angelo parcellimè locuta est, sed necessario & in re magni momenti. Primò vt significaret se voto Virginitatis obstrictam: Deinde vt ostenderet humillimè in voluntatem Dei se resignare. Elisabetham salutauit, & cum ab ipsa Beata prædicaretur, in Dei laudes, & canticum illud celeberrimum *Magnificat*, prorupit. Quando filium amissum in Templo reperit, mansuetè dixit, *Fili quid fecisti nobis sic?* In nuptijs verò ex mera commiseratione dixit Filio, *vinum non habent*, quid modestius poterat dicere in illa penuria? Verè fauus mellis verba composita.

N 4

40

a Offic. c. 3. b In Psal. 140.

a *O imitandam sermonis parcitatem. & mansuetudinem. Deplorandi verò ij, sub quorum lingua labor & dolor, imo venenum aspidum.* b *Dentes eorum arma, & sagitta, & lingua eorum tanquam gladius acutus. Malè sit detractioibus, imprecationibus, blasphemijs nostris, vt taceam lasciuia, scurrilia, nugas, &c.*

f.

Est & alius fauus destillans lacrymas pœnitentiæ, quæ etiam suam dulcedinẽ habent, propter internam spem misericordiæ Dei, quando ipse Spiritus in quo clamamus *Abba Pater*, inenarrabiles gemitus prouocat, & testimonium reddit Spiritui nostro, quod per cor contritum & humiliatum iterum fiamus filij Dei. c

Clarissimum exemplum habemus in S. Augustino, qui ita de se ipso scribit: *d Quantum fleui in hymnis & canticis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces enim illæ influebant auribus meis*  
*& eli-*

a *Prou. 16.* b *Psal. 10. & 13. & 36.*

c *Rom. 8.* d *Lib. 9. Conf. cap. 5. & 6.*

*& eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea aestuabat affectus pietatis, & currebant lacryma, & bene mihi erat cum eis.*

Et alibi miratur fletum esse posse dulcem, & causam à Deo scire desiderat. Ita enim ait: *a Possumne audire abs te Domine, qui veritas es, & admouere aurem cordis mei ori tuo, vt dicas mihi, cur fletus dulcis sit miseris? Vnde hic suavis fructus de amaritudine vite carpitur, gemere, & flere & suspirare, & conqueri? An hoc tibi dulce est, quod speramus audire te? Rectè istud in precibus, quia desiderium perueniendi habent &c.*

Sæpe dubites, dolòrne, an amor lacrymas prouocet: pugnant aliquando inter se, vt nubes, & tandem lacrymæ exprimuntur. Verisimile est in Petro hanc luctam fuisse: pudebat vanæ iactationis (*etsi omnes scandalizati fuerint*) pudebat ab ancilla victum, dolebat factum, vrgebat interim vaticinium, & amor dulcis Magistri in solis lacrymis solatium erat. Quis affectus tam vbertim

N 5

lacry-

a Lib. 4. Conf. cap. 5.

lacrymas expressit Magdalena ad pedes  
 IESV, & ad monumentum? nisi iniectus  
 pudor, dolor, & amor? Ita saepe homo à  
 Deo illustratus, & commotus; orat, plo-  
 rat, sperat, amat, & singultit suauiter, &  
 stillantibus lacrymis, benè est animæ  
 eius.

5.

Quid dicam de dulci meditatione  
 Crucis, & passionis Christi? Ah quomo-  
 do absorpti sunt Sancti plurimi in amo-  
 re redemptoris nostri, contemplantes  
 illam abyssum misericordiae filij Dei.  
 Frustra conati sunt quidam viri pij, id  
 calamo exprimere; quædam enim sen-  
 tire, non eloqui possumus. Plurimum  
 tamen præstiterunt, & nobis profue-  
 runt, vt ex amarissima passione Christi,  
 dulcissimum mel amoris pio lectori li-  
 bare liceat. Interim verissimum illud  
 quod Mellifluus Bernhardus in suo Iu-  
 bilo dicit:

Nec lingua valet dicere,  
 Nec littera exprimere.

Exper-

Expertus potest credere  
 Quid sit IESVM diligere.  
 Amor IESV dulcissimus  
 Et verè suauissimus,  
 Plus millies gratissimus,  
 Quàm dicere sufficimus.

Testantur tot millia Martyrum vtri-  
 usq; sexus, quibus, melle amoris Christi  
 gustato, dulce fuit piè flere, pati, mori.

7.

Quid porro dulcius illo fauo mellis,  
 quem Christus Redemptor noster toti  
 orbi Christiano, in SS. Eucharistiæ Sa-  
 cramento tanquam præcipuum thesau-  
 rum, & arrham salutis nostræ reliquit.

Olim sub vmbra Manna dedit po-  
 pulo suo, de quo Sapiens ita loquitur: *et*  
*Angelorum esca nutriuisti populum tuum,*  
*& paratum panem de cælo præstitisti illis sine*  
*labore, etiam delectamentum in se haben-*  
*tem, & omnis saporis suauitatem.* Num-  
 quid hic dulcis fauus fuit? sed omnia  
 in figura, & sub vmbra. Nunc autem

N 6

nobis

*et Exod. 16. Sap. 16.*

nobis dicit: *Ego sum panis vite: Patres vestri manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur. O sacrum conuiuium, canit Ecclesia, in quo Christus sumitur; recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futura gloria nobis pignus datur. O res mirabilis, manducat Dominum pauper, seruus, & humilis. Se nascens dedit socium, concrefcens, in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium. O quam suavis est Domine Spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo, de cælo præstito, esurientes replet bonis. Similibus pijs Canticis per octo integros dies filios suos recreat Ecclesia; quis hinc non dulce mel auidissime sugat?*

8.

Superest alius adhuc fauus distillans, de quo etiam in ærumnis nostris suauiter lingimus, & illuminantur oculi nostri, vt olim Ionathæ, cum virga sua intinxisset.



tinxisset in fauum mellis. *a* Est verò fa-  
 uus hic contemplatio celestis glorię, pa-  
 trię inquam nostrę, ad quã nati sumus.  
*b* licet enim oculus non viderit, nec auris audi-  
 uerit, nec in cor hominis ascenderit, quę præ-  
 parauit Deus ijs, qui diligunt illum, nobis ta-  
 men reuelauit Deus per Spiritum suum; Spi-  
 ritus enim omnia scrutatur; & merum  
 mel videtur hoc ipsum scrutari. Verissi-  
 mum enim illud Augustini : Domine  
 creasti nos ad te , & inquietum est cor  
 nostrum, donec veniat ad te. Lingenti  
 hoc mel, omnia terrena desipiunt. Ad  
 perennis vitę fontem mens sitiuit arida,  
 claustra carnis præsto frangi, clausa que-  
 rit anima: Gliscit, ambit, eluctatur exul  
 frui patria: *c* neque enim sunt condignę pas-  
 siones huius temporis, ad futuram gloriam,  
 quę reuelabitur in nobis. Omnis mora,  
 omnis hora diligenti nimis longa vide-  
 tur: Cupio dissolui, & esse cum Christo. *d* In-  
 colatus meus prolongatus est. *e* Quis dabit mi-

N 7

hi pen-

*a* I. Reg. 14. *b* I. Cor. 2.*c* Petrus Damian. *d* Rom. 8, *e* Psal. 54.

hi pennas sicut columba & volabo, & requiescam. Desidero te millies, Mi IESU quando venies? Me lætum quando facies? Me de te quando faties? Ita Sancti in hoc Mundo gemunt, qui hunc fauum gustârunt.

## ORATIO.

**O** Florum cœli decus & gloria, lili-  
um conuallium, lilium inter spi-  
nas, Rosa mystica, dulcissima Vir-  
go Mária, admitte, oro, me miseram  
Apiculam, vt scruter in te arcana Dei,  
cellissimas Virtutes, ac prærogatiuas  
tuas; admitte, inquam, me, vt inde mi-  
hi fauum ex virginea cera conficiam,  
& cœlesti melle repleam, cibo mihi tam  
sapido, tam salutari, tam necessario, vt  
pascar donec hyems transeat. Liceat  
mihi cum famelico Ionatha hoc melli-  
bare, vt illuminentur oculi mei, & col-  
lapsæ

lapsæ vires meæ instaurentur: Tu es enim vita, dulcedo, & spes vnica miserorum. Fauus distillans es, ah, recrea aridas fauces animæ meæ. Mel & lac sub lingua tua: *Loquere Domina ad cor meum, quia audit seruus tuus; eloquium tuum dulce.* Doce me ex dulci corde mansueta, & mellita verba proloqui, quæ sapiant pacem, & misericordiam. Ah stilla in cor meum, de melle dulcissimo, flagrantissimi amoris tui, quo dilectissimum filium tuum in terris complexa es. O amplexus & oscula reciproca quæ vincunt mellis pocula. Doce me ex mellitis sermonibus eius, & sanctissimæ vitæ exemplis, ex Augustissimo eius epulo cum discipulis extremo; ex sacratissimis eius vulneribus dulce nectar fugere; Spiritus enim eius dulcis, & hæreditas eius super mel & fauum; vt sic in pace interna, omnia hæc terrena fastidiens, comedam fauum meum, cum melle meo, & cum suauitate, & solatio spiritali, in  
 magna:

magna patientia glutiam saluam meam, donec aliquando frui liceat dulcissimo illo fauo, quem præparauit diligentibus se: Sic tu me adiuua O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria. Quæ in cælis coronata triumphas in omnem æternitatem. Amen.

## H O R T V S C O N C L V S

S V S. a

**Q**Vare Beatissima Virgo hortus ab Ecclesia nominetur, inter alios pulchrè ostendit S. Hieronymus: *b* Verè, inquit, hortus deliciarum, in quo sunt consita vniuersa florum genera, & odora-  
menta Virtutum, sicque conclusus, vt nesciat violari, neque corrumpi vllis insidiarum fraudibus. Et rursus alibi: *c* Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Quod clausum est, inquit, atque signatum, similitudinem habet Matris Domini, Matris & Virginis.

Ruper-

a Cant. 4. b De Ass. Virg. c Lib. I. cont. Iouin.